



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Grus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE DAGNIDE CAP. XXIV.

Inter Ægypti aves celebris est Dagnis, ab infesta mordacitate ita nuncupata: δάκνω enim mordeo est.

EBRIETAS. CAP. XXV.

Per eam supra coronam aliquam statutam, ebrietas significabatur; eas enim volucres Ægyptii in symposiis, quibus redimiti essent coronis advincire soliti sunt, ut assidue morsuunculis vellendo cantitandoque, potantes dormire non permitterent.

DE GRUE. CAP. XXVI.

Gruum significata in postremis minime habenda sunt, quibus multa cum humana diligentia, recteque, regendæ familiæ ratione, communia sunt.

CUSTODIA. CAP. XXVII.

Sed illud in primis referam, quod exercitus ducem ab hostium insidiis se custodientem significabant. Proponabant quippe Gruem vigilem, hoc est, lapillum pede sustinentem: illa enim excubias ordine suo tota nocte disponunt, lapillumque ideo prensant, ut lassatis somno decedens indiligentiam coarguat. Cætera dormiunt capite super alam condito, alternis pedibus insistentes. Philippus ille, qui brevissima Hori Apollinis lemmata in Græcam linguam traduxit, loco hoc ζηρηγοῦσαι καὶ ὄρνιθον, Romano vocabulo, tunc à Græcia cum imperio recepto, usus est. Harum alitum vigilantiam imitatus Alexander Macedo, si quando pervigilandum esset,



Vigilantia
Gruum.
Eadem Plin.
lib. 10. c. 27.
ad verbum.

Cne somni violentia opprimeretur, vas athenæum prope thorum adhibebat, supra quod brachium exporrigebat, pillam, ut Ammianus Marcellinus ait, argenteam manu complexus, quæ si quando ipse somno vinceretur, elapsa sonoro strepitu somnum abrumperet. Sedenim idem author Julianum Cæsarem absque pila, vel instrumento alio, quotiens & quantum voluisset, evigilasse profitetur.

DEMOCRATIA. CAP. XXVIII.

Ex eo vero collegio, quod Grues celebrant inter se, nonnulli dicunt democratiam hieroglyphicè significari: cum pluribus enim consultandum, si quid rectè fecisse voluerimus, & felicem rebus nostris successum optaverimus. Aësymnio Megarensi honestissimo loco nato, dum super hoc consulta posceret, respondisse Apollinem Delphicum ait Paulanias, referret ad multos si gerere quid feliciter vellet: plurimorum enim sententiis auditis, facile est quod optimum sit discernere. Ea de causa Megarenses ne ullam interpretandi oraculi occasionem amitterent, vel quidpiam quod intelligi potuerit preterirent, comitia ad heroum sepulcra habere deinceps decrevere: nam plures esse mortuos manifestum. Sanè quidem apud nostros, consensus unioque partium in eandem sententiam aut rem, Latino vocabulo formam ab ipsis Gruibus videtur accepisse, ut inde CONGRUERE, pro CONVENIRE dicamus.



Numquam
eum se
gregant, sive
convolant,
sive cum pa-
scunt.

Dd 2

PRU.